

C. IVLI CAESARIS

teris perlectis Domitius dissimulans in consilio pronuntiat Pompeium celeriter subsidio venturum hortaturque eos ne animo deficient quaeque usui ad defendendum oppidum
2 sint parent. Ipse arcano cum paucis familiaribus suis
3 colloquitur consiliumque fugae capere constituit. Cum 5
4 vultus Domiti cum oratione non consentiret atque omnia
5 trepidantius timidiusque ageret quam superioribus diebus
6 consuesset multumque cum suis consiliandi causa secreto
7 praeter consuetudinem colloqueretur, concilia conventusque
8 hominum fugeret, res diutius tegi dissimularique non potuit. 10
9 Pompeius enim rescripserat sese rem in summum periculum
10 deducturum non esse, neque suo consilio aut voluntate
11 Domitium se in oppidum Corfinium contulisse: proinde, si
12 qua fuisset facultas, ad se cum omnibus copiis veniret. Id ne
13 fieri posset, obsidione atque oppidi circummunitione fiebat. 15
14 20 Divulgato Domiti consilio milites qui erant Corfini primo
15 vesperi secessionem faciunt atque ita inter se per tribunum
16 militum centurionesque atque honestissimos sui generis
17 2 colloquuntur: obsideri se a Caesare; opera munitionesque
18 prope esse perfectas; ducem suum Domitium, cuius spe 20
19 atque fiducia permanserint, proiectis omnibus fugae consi-
20 3 lium capere; debere se suae salutis rationem habere. Ab
21 his primo Marsi dissentire incipiunt eamque oppidi partem
22 quae munitissima videretur occupant, tantaque inter eos
23 dissensio existit ut manum conserere atque armis dimicare 25
24 4 conentur; post paulo tamen internuntiis ultro citroque
25 missis, quae ignorabant de L. Domiti fuga cognoscunt.
26 5 Itaque omnes uno consilio Domitium productum in publi-
27 cum circumstant et custodiunt legatosque ex suo numero
28 ad Caesarem mittunt: sese paratos esse portas aperire 30
29 quaeque imperaverit facere et L. Domitium vivum in eius
30 potestatem tradere.